



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. An causa possessionis, & causa proprietatis apud eundem Judicem tractari debeat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

beat, semper tamen requiritur, exercere talem actum, non ex gratia tantum alterius, sed ex jure quasi sibi competente.

Amittitur autem possessio solo etiam animo non possidendi, ut si quis ex fundo suo abeat, animo eum non possidendi, amittit fundi illius possessionem, non quidem, quod corporalem illius sive naturalem possessionem non retineat, ed quod ex eo corporaliter discedat, sed quod animum non amplius habeat, fundum talem ut suum retinendi, quo animo abjecto, civilem etiam possessionem amittit: Amittitur autem possessio immobilium rerum, si fundum v. g. quem corporaliter occupatum non repetis amplius, vel repulsam passus, nihil ulterius agis; Mobilium vero, si ignorante etiam te, rem tuam mobilem, hac impostero ut sua utendi, eripit aliquis,

§. III.

De Judiciis, seu remediis possessoriis, in genere, & in specie, coram quo Judice institui debeat Judicium possessorium in rebus spiritualibus?

TRiplex in genere Judicium seu remedium sive interdictum est possessorium adipiscendæ scil. possessionis, quam nunquam habuisti; retinendæ, in qua turbaris; & recuperandæ, quam habitam amisisti. Quæ interdicta sicuti pluribus explicant Civilistæ, ita ab illis ulterior subdivisio & explicatio petenda est. Videri etiam potest Auctor Metho, hoc loco.

Illud hic adhuc advertendum, si Judicium possessorium adipiscendæ vel recu-

perandæ possessionis circa spiritualia, vel quasi spiritualia instituat, circa beneficia v. g. jus Patronatus, decimas, &c. quæstio sit de jure possidendi, tum apud Judicem Ecclesiasticum controversialis institui debet, cum sit de jure spirituali quæstio. Si vero de solo facto turbetur v. g. possessionis, vel expulsi ex possessione Clerici foret controversia, contra Laicum turbatorem, aut repellentem, &c. etiam coram Judice Laico poterit, cum quæstio hæc facti tantum sit fori sit, nisi illi admixta sit quæstio juris, prout frequenter fieri solet.

§. IV.

An causa possessionis, & proprietatis apud eundem Judicem tractari debeat?

EX c. Susceptis 1. h. t. affirmative respondetur, ut ne causæ continentur dividatur, & causæ connexæ inter se facilius expediantur; nisi vel litigantes omnino diversi fori, vel Judex de utroque causa possessionis & proprietatis cognoscere non possit: Et quantum communiter dicatur, nihil communi habere possessionem cum proprietate intelligi tamen hoc non debet, quod cognitionem judicalem, sed quoad instantiam & essentiam utriusque. Etiam cui delegata est in genere causa cognoscenda, vel in specie causa proprietatis intelligitur etiam causa possessoria illi delegata, ut docet etiam *Glossa in c. Pastoralis 5. V. Requisitus. h. t.* Alud autem est si cui commissa sit causa possessionis cognoscenda, hic enim super causa proprietatis cognoscere non potest, ut docet *Glossa recepta in c. 1. h. t. V. In*

simile (nisi per viam reconventionis, si hec locum habeat) quia mirum non est, si proprietatem, vel ut magis dignum, trahat ad se possessionem, non autem vice versa possessio minus dignum, proprietatem.

§. V.

An, & quomodo causa possessionis, & proprietatis possint cumulari in iudicio, & quo ordine tractanda sint?

Simul tractari posse in eodem iudicio causam proprietatis, & possessionis (si moveatur interdictum adipiscendæ, aut recuperandæ possessionis, non autem, si retinendæ tantum moveatur, quod cumulari cum petitorio ordinariè non potest) ita tamen ut iudex receptis probationibus super utraque causa, prius examinare possit probationes super causa possessionis, illamque terminare, ex c. ad ultimum 2. h. t. patet. Nisi de utroque liquet, in tali enim casu, utraque causa debet simul unâ sententiâ terminari, ita tamen, ut prius pronuntietur super possessione, in executione tamen proprietatis prævaleat. c. Cum dilectus 6. h. t. quia in pronuntiando seu vatu ordo, qui habitus fuit in cognoscendo; & in executione absorbet effectum sententiæ latæ pro possessione proprietatis.

§. VI.

Quâ ratione spoliatus instruere possit iudicium possessorium, & petitorium coram eodem iudice?

Spoliatus, qui possessorio & petitorio iudicio simul agit (quamvis non semper consultum sit, ut possessorium simul

Pirhing. Compend.

cumuletur cum petitorio) si possessionem & spoliationem probet, non autem dominium seu proprietatem, obtinet in possessorio, eique restituenda est possessio, non autem in petitorio (quia possessionem & spoliationem probavit, non autem dominium, & ab una possessionis ad alteram causam proprietatis, velut distinctam non fit bona illatio. c. Cum Ecclesia 3. & c. Cum super 4. h. t. Et qui ab initio agit iudicio petitorio, de proprietate, siue rei vindicatione, potest, si necdum in causa conclusum sit, suspensio iudicio petitorio, interdictum possessorium adipiscendæ vel recuperandæ possessionis intentare, non autem postquam in causa conclusum est, nisi iudici ex iusta causa id expedire vitum fuerit, prout statutus in c. Pastoralis 5. h. t. ubi iniuste spoliato ita succurritur contra odiosum spoliatorem, si petitorii probationem non videatur posse evincere, ut tamen via fraudibus non aperiatur. Quin imo etiam post sententiam in petitorio latam, quia alter in probatione domini defecit, potest hic transire adhuc ad possessorium, & è contrario ad petitorium à possessorio, quia sunt distincta & separabilia iudicia, quæ quoad hoc nihil commune habent. Hæc autem, quæ dicta sunt de utrisque iudicii cumulatione, locum etiam habent in causis beneficialibus Clement. Unica. h. t. Etiam si ad Papam appellatum fuerit à causa proprietatis v. g. ita tamen, ut etiam ea advertantur, quæ in duobus ultimis Capitulis h. t. advertuntur.

Nn

Tl